

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Magistri Boetii *Ars musice*

cura et studio Christian Meyer
2013

Pesaro, Biblioteca Oliveriana
1336, f. 21v-26r
Berlin, Staatsbibliothek Preussischer Kulturbesitz
Theol. lat. qu. 261, f. 38v

P 21v – B

38v

¹ Incipit ars musice excellentissimi magistri Boetii.

² Tractatum hunc musice ex multis libris domino inspirante collegi, et primo quidem ad dei laudem et gloriam et honorem libellum composui, ³ deinde ad eorum precipue eruditionem qui laudis sacrificium in ecclesia iuxta illud propheticum totis viribus satagant domino ymolare : ymola deo sa<crificium> lau<dis> et se<pties> in die la<udem> d<ixi> t<ibi> et idem propheta in persona domini : sacrificium laudis ho<norificabit> me. ⁴ In hoc libello non omnia que sunt artis musice continentur, sed tantummodo levia quedam, utilia et necessaria ad eorum instructionem, qui in ecclesiis debent divinum officium cellebrare. ⁵ Quisque igitur cupit hanc cantandi scienciam veraciter habere et ad eius perfectionem duce Christo pertingere, hunc libellum perfecte discat et memorie commendatum diligenter studeat conservare.

Les sigles des traités cités dans l'apparat critique sont ceux du *Lexicon musicum Latinum* (München, 1992-). <http://www.lml.badw-muenchen.de/info/edition.htm>

³ (ymola... laudis) Ps. 49, 14 ; (septies... tibi) Ps. 118, 164 ; (sacrificium... me) Ps. 49, 23

¹ musice *om. P* | Incipit-Boetii *add. B*

⁶ Primo itaque videndum est breviter quid sit musica. ⁷ Musica est veraciter canendi scientia et facilis ad canendi perfectionem via. ⁸ Vel: Musica est peritia modulationis, sono cantuque consistens. ⁹ Et dicta est musica per derivationem a musis, i. a querendo. ¹⁰ Nam muse appellate sunt *apo to masu*, i. a querendo, eo quod per eas, sicut antiqui voluerunt, vis carminum et vocis modulatio quereretur. ¹¹ Fuit autem musice artis inventor Iubal, qui fuit de stirpe Cayn ante diluvium. ¹² Greci vero Pitagoram dicunt huius artis invenisse peritia ex maleorum sonitu cordarum extensione percussa.

¹³ Musice autem partes sunt tres, scilicet armonia, ritimica et metrica. ¹⁴ Armonia est modulatio vocis et concordantia plurimorum sonorum vel coaptatio. ¹⁵ Hec prima pars musice aliis pretermissis ex variis vocum coniunctionibus constat et pertinet ad omnes qui voce propria canunt. ¹⁶ Hec ex animo et corpore motum facit, ex motu sonum ex quo colligitur musica, que in homine vox appellatur.

¹⁷ Est autem vox aeris per linguam percussio, que per quosdam gutturis partes, que artarie vocantur, ab animali profertur.

⁷ Ps.-ODO dial. p. 252a

⁸⁻⁹ (musica est... musis) + ¹⁰ ISID. etym. 3, 15, 1

¹¹⁻¹² (Iubal qui...) ISID. etym 3, 16, 1

¹³ ISID. etym 3, 18, 1

¹⁴ cf. VOCAB. MUS. 82-83 (S. XI) Prima divisio musicae armoniaca dicitur, id est modulatio vocis; armonia enim est concordantia plurimorum sonorum (éd. Chr. Meyer, Sh. Nishimagi, *Tractatuli*, p. 255)

¹⁵ (ad omnes... canunt) ISID. etym. 3, 20, 1

¹⁶ ISID. etym. 3, 20, 1

¹⁷⁻²¹ Boethius, *In librum Aristotelis Peri hermeneias commentarii* (editio secunda), ed. C. Meiser (Leipzig : Teubner, 1880), l.lib. 1, p. 4, l. 18-28

¹⁷ aeris] aieris BP

¹⁸ Sunt enim quidam alii soni, qui eodem perficiuntur flatu, quos lingua non percutit, ut est tussis. ¹⁹ Hec enim flatu quodam fit per arterias <egregiente>, sed nullis subiacet elementis, scribi enim nullo modo potest. Quocirca vox hec non dicitur sed sonus tantum. ²⁰ Illa quoque potest esse diffinitio vocis, ut eam dicamus esse sonum cum quadam ymaginatione significandi. ²¹ Tussis vero cum sonus sit, nullius significationis causa <subrepit potius quam> profertur. ²² Fit autem vox plectro lingue a pulsu, IIII dentium, repercussione duorum labiorum, concavo gutturis <et> adiutorio pulmonis, qui[a] velut follis aerem in se accipit et remittit. ²³ Omnis autem vox articulata est aut confusa. ²⁴ Articulata est que litteris aut figuris aliquibus potest representari, ut vox hominis. ²⁵ Confusa est que scribi nullo modo potest nec sub figuris aliquibus valet aliquomodo comprehendendi, ut latratus canis, tussis, fragor arborum vel strepitus pedum.

²⁶ Tam Antiquorum autem quam Modernorum auctoritate musicorum voces, quibus omnium multiformitas cantuum contexitur, VI esse noscuntur, scilicet *ut re mi fa sol la*, que per has VII licteras scilicet .A. .B. .C. .D. .E. .F. .G. denotantur. ²⁷ Que cum licteris ita capitalibus scripte reperiuntur, dicuntur graves quia gravem cantum sive demissum faciunt. ²⁸ Cum vero replicantur hoc modo licteris simplicibus : .a. .b. .c. .d. .e. .f. .g., tunc dicuntur

22 Remigius Autissiodorensis, *Commentum Einsidlense in Donati Artem minorem* (recensio brevis), c. 25, éd. W. Fox (1912), p. 17 l. 15.- cf. BERNO prol. 2, 1

23-25 cf. Donatus, *Ars grammatica* (Ars maior I, c. 1 : « articulata est quae litteris comprehendi potest, confusa quae scribi non potest », ed. Keil, 1864, p. 367, l. 6)

26 cf. Siena, Bibl. Com. L. V. 36, f. 1v

18 soni] toni *B ante corr. P* | quos] quis *P* | lingua vero] linguarum *B* | vero *lect. dub. P*

19 hec... hec] hic... hec (*dub.*) *B*, *lect. dub. P*

25 sub figuris] *desinit B*

acute, quia acutum sive altum cantum efficiunt respectu precedentium.²⁹ Sed cum iterum hec bis scripte repetuntur .^a. .^b. .^c. .^d., dicuntur superacute, quia cantum acutiorum et altiorum ceteris efficunt.³⁰ Et istum tetracordum superacutorum post inventionem musice fuit additum, ut maior diversitas cantuum fieri posset.

³¹ Quibus tamen VII licteris preponitur gamma grecum a modernis adiunctum, ut ad primam licteram scilicet .A. tonum habeat et ad .G. grave diapason reddat et enim secundus tonus plenum perfectum descensum habeat.³² Et greca lictera ille prepositur, quia Greci fuerunt primi inventores huius artis, vel ut notaretur diversitas inter licteras.³³ Sortitur enim nomen a sequenti lictera .G., que est VIII^a sibi, et ne eadem littera .G. bis inter graves habetur, .C. grecum scribitur.

³⁴ Ponitur quoque .b. rotundum in accutis et superaccutis inter .a. et .h. quadratum et dicitur .b. rotundum.³⁵ .h. vero quadratum dicitur .h.mi.³⁶ Sed ubicumque unum amictitur alium reicitur utrumque enim .b. .h. in eadem neuma non iungitur.³⁷ In eodem vero cantu maxime .b. rotundum utimur, in quo .F. .f. amplius continuatur gravis vel acuta ubi et quandam confusionem et transformationem facere videtur, ut .G. sonet protum, .a. deuterum.³⁸ Quia tamen ipsum .b. rotundum non est de computo VII naturalium litterarum, non debet per se spaciū aut lineam occupare nec locum naturaliter habere.³⁹ Vocatur enim apud Grecos .b. rotundum synemenon.⁴⁰ Hoc est accidentis vel

32 (quia-licteras) AMERUS 2, 2

36-37 (in eadem...) GUIDO micr. 3, 12-14

31 gamma] cama *cod.* | adiunctum] aiunctum *cod.*

P 22v

³⁷ quandam] quadratum .b. cod.
 accidentale. ⁴¹ Cum igitur non proprium neque naturale sed possit adesse vel abesse sine corruptione subiecti, ubi necessarium fuerit apponitur, ubi vero cantus ad suam naturam recurrerit afferatur. ⁴² Fuit autem inventum .b. rotundum quia .F. cum quarta ad se licterat, scilicet .b. | quadrata, tritono differente et impediente nequibat habere concordiam nec respondere sibi poterat per aliquam symphoniam. ⁴³ Hinc est quod ad temperandum et removendum duritiam et dissonantiam tritoni quandoque super .f. naturaliter invenitur, .b. rotundum inter .A. et .b. quadratum ponitur. ⁴⁴ Fuit etiam inventum propter varietatem cantuum efficiendam. ⁴⁵ Cum enim per illud .b. quadratum sepe fecit transitus, fiebat frequenter idemperitas et repeticio eiusdem soni vel vocis. ⁴⁶ Ideoque, ne tedium audientibus inferret, loco .b. quadrati .b. rotundum appositum fuit ut sua varietate et dulcedine audientium animas delectarent. ⁴⁷ Dicuntur autem .b. quadratum et .b. rotundum propter talem formam, .b. durum et .b. molle propter sonum.

⁴⁸ Sciendum quoque est quod inter .A. et .B. graves a quibusdam aliquando .b. rotundum ponitur, ut item plurimum cantuum dissonantia maxima evitetur. ⁴⁹ Sunt denique quidam cantus, qui nunquam recte vel consonanter cantantur quando in ipsis gravibus licteris notati reperiuntur, nisi .b. inter .A. et .B. graves ponitur, ⁵⁰ ut *Sacerdotes dei* et *Dicit dominus ego cogito cogitationes pacis* et consimiles introitus, et graduale *Salvum fac servum tuum* in prima voce Feria VI^a IIII^{cōr} Temporum in XL^a, et postcommunio *Per signum crucis*, et plures alii cantus in

⁴¹ ANON. La Fage I 13, 7-9

⁴² (.f.-concordiam) GUIDO micr. 8, 11

⁴⁴⁻⁴⁷ AMERUS 18, 1

⁴¹ possit] post sit cod.

⁴² tritono] vero cod. | poterat lec. dub.

⁴³ invenitur] invenit *lect. dub.* | ponit] ponit *cod.*
 antiphonario diurno.⁵¹ In nocturnis etiam sunt aliqua responsoria
 sicut *Locu<tu>s est dominus ad Abra<h>am dicens* in loco illo :
 « monstravero tibi », et quedam alia secundi vel VI^{di} toni cum ad
 + ... + tum VI^{<us>} tonus descendit.

⁵² Cum igitur nihil aliud sit armonia sive musica quam dulcis
 copulatio vocum, quando expedit in cantu .b. rotundum, ibidem
 cum euphonie secure interponatur, et quando non expedit,
 dimictatur.⁵³ Ponuntur itaque per ordinem universaliter in manu
 lictere musicales XXII^e, quarum sunt XVIII naturales et IIII
 accidentales +non ...us+ adjuncte scilicet  <et> .b. ro<tundum> in
 tribus locis.

⁵⁴ Quis ergo artis musice documentum voluerit habere
 perfecte, neccesse est ut primo usum manum exerceat et sepe
 meditare prout voces in manu et littere ordinantur donec naturas
 et mutationes vocum perfecte cognoscat.

⁵⁵ Disponuntur autem in manu voces cum litteris hoc
 modo : .Γ.ut, .Α.re, .Β.mi, .C.faut, .D.solre, .E.lami, .F.faut,
 .G.solreut, .a.lamire, .b.fa.β.mi, .c.solfaut, .d.lasolre, .e.lami, .f.faut,
 .g.solreut, .a.lamire, .b.fa.β.mi, .c.solfaut, .d.lasol. ⁵⁶ Quando autem
 ponitur .b. rotundum inter .A. et B. grave tunc dicitur sicut
 incipiendo in nodo pollicis exterius faut, .Γ.reut, .A.mire,
 .B.fa.β.mi, .C.solfaut etc. sicut dictum est.

⁵⁷ Prefate autem lictere et voces per lineas et spatia taliter
 disponuntur : ⁵⁸ .Γ.ut n linea, .A.re in spatio, .B.mi in linea, .C.faut
 in spatio, .D.solre in linea, .E.lami in spatio, .F.faut in linea,
 .G.solreut in spatio, .a.lamire in linea, .b.fa.β.mi in spatio,
 .c.solfaut in linea, .d.lasolre in spatio, .e.lami in linea, .f.faut in
 spatio, .g.solreut in linea, .a.lamire in spatio, .b.fa.β.mi in linea,

58-61 ANON. La Fage I 2, 3-5

51 + ... + tum] 

53 [“]non ...⁺]  | adiuncte] aiuncte cod.

.c.solfa in spatio, .d.lasol in linea.⁵⁹ Notandum vero quod lictere, que in gravibus in linea denotantur, in acutis in spatio demonstrantur, et que in accutis in spatio sunt notate in superaccutis in linea sunt descripte.⁶⁰ Hec tamen a memoria semel inpressum non excidat que lictere sint in spatio et que in linea, quoniam hoc scire utpote fundamentum rei maximam vim et utilitatem tribuit.⁶¹ Sic<ut> neglectum a canendi peritia alienum esse compellitur.

P 23r

⁶² Sciendum quoque est quod omnes predice voces in tribus tamen licteris oriuntur, scilicet in .C. vel in .F. vel in .G. ⁶³Et plures licet voces sint in eadem lictera, omnes tamen sicut diversa<m> habent originem, ita diversum modum proferendi. ⁶⁴ Omnes namque voces habentes originem in .C. proferuntur per naturam, i. per proprias voces. Et que oriuntur in .F. proferuntur per .b. molle, <in> .G. quoque <per .b.> quadrum.

⁶⁵ Igitur in .G.ut una <est> lictera, scilicet .G., et una vox, scilicet *ut* <que> profertur per .b. quadrum et habet originem in .Gma.ut.

⁶⁶ In A.re una est lictera, scilicet .A., et una vox, scilicet *re* que profertur per .b. quadrum et habet originem in .G.ut.

⁶⁷ In .B.mi una est lictera, scilicet .b., et una vox, scilicet *mi*, que profertur per .b. quadrum et habet originem in .G.ut.

⁶⁸ In .C.faut, una est lictera, scilicet .C., et due voces, scilicet *fa* et *ut*. *Fa* profertur per .b. et habet originem in .G.ut, *ut* profertur per naturam et habet originem in .C.faut.

⁶⁹ In .D.solre una est lictera .D. et due sunt voces *sol* et *re*. *Sol* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.ut. *Re* profertur per naturam et habet originem in .C.faut.

⁷⁰ In .E.lami una est lictera, scilicet .E., et due voces, scilicet *la* et *mi*. *La* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.ut. *Mi* profertur per naturam et habet originem in .C.faut.

59 quod] quia cod.

⁷¹ In .F.faut una est lictera, scilicet .F., et due voces, scilicet *fa* et *ut*. *Fa* profertur per naturam et habet originem in .C.faut. *Ut* profertur per .b. molle et habet originem in .F.faut.

⁷² In .G.solreut una est lictera, scilicet .G. et tres voces, scilicet *sol*, *re*, *ut*. *Sol* profertur per naturam et habet originem in .C.faut. *Re* profertur per .b. mollem et habet originem in .F.faut. *Ut* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut.

⁷³ In .a.lamire una est lictera, scilicet .a. et tres voces, scilicet *la*, *mi*, *re*. *La* profertur per naturam et habet originem in .C.faut, *mi* profertur per .b. molle<m> et habet originem in .F.faut. *Re* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut.

⁷⁴ In .b.fa.b.mi due sunt lictere, scilicet .b. rotundum <et> .b. quadratum, et due voces, scilicet *fa* et *mi*. *Fa* profertur per .b. mollem et habet originem in .F.faut, *mi* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut.

⁷⁵ In .c.solfaut una est lictera, scilicet .c., et tres voces, scilicet *sol*, *fa*, *ut*. *Sol* profertur per .b. molle<m> et habet originem in .F.faut. *Fa* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut. *Ut* profertur per naturam et habet originem in .C.solfaut.

⁷⁶ In .d.lasolre una est lictera, scilicet .d. et tres voces, scilicet *la*, *sol*, *re*. *La* profertur per .b. molle et habet originem in .F.faut. *Sol* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut. *Re* profertur per naturam et habet originem in .C.solfaut.

⁷⁷ In .e.lami una est lictera, scilicet .e., et due voces *la*, *mi*. *La* profertur per .b. quadratum et habet originem in .G.solreut, *mi* profertur per naturam et habet originem in .c.solfaut.

⁷⁸ In .f.faut una est lictera, scilicet .f., et due voces, scilicet *fa*, *ut*. *Fa* profertur per naturam et habet originem in .c.solfaut. *Ut* profertur per .b. molle et habet originem in .f.faut.

⁷⁹ In .g.solreut una est lictera, scilicet .g., et tres voces, scilicet *sol* *re* *ut*. *Sol* profertur per naturam et habet originem <in>

P 23v

.c.solfaut. *Re* profertur per .b. molle et habet originem in .f.faut.
Ut profertur per .b. quadratum et habet originem in .g.solreut.

⁸⁰ In .^a.lamire una est lictera, i. .^a., et tres voces *la*, *mi*, *re*. *La* profertur per naturam et habet originem in .c.solfaut. *Mi* profertur per .b. molle et habet originem in .f.faut. *Ut* profertur per .b. quadratum | et habet originem in .g.solreut.

⁸¹ In .^b.fa.^b.mi sicut dictum est in alio .b.fa.^b.mi.

⁸² In .^c.solfa una est lictera, scilicet .^c., et due voces scilicet *sol*, *fa*. *Sol* profertur per .b. molle et habet originem in .f.faut. *Fa* profertur per .b. quadratum et habet originem in .g.solreut.

⁸³ In .^d.lasol una est lictera, scilicet .^d., et due voces scilicet *la*, *sol*. *La* profertur per .b. molle et habet originem in .f.faut. *Sol* profertur per .b. quadratum et habet originem in .g.solreut.

⁸⁴ Viso quomodo omnes singule proferuntur, videndum est quomodo propter asscensum et descensum earum de uno cantu in alium varientur. ⁸⁵ Sed primo notandum est quod quandocumque mutacio finitur in una inferiorum, scilicet *ut*, *re*, *mi*, dicitur propter ascensum. ⁸⁶ Quando vero finitur in una superiorum, scilicet *fa*, *sol*, *la*, dicitur propter descensum.
⁸⁷ Mutationes itaque vocum taliter variantur.

⁸⁸ .Γ.ut, .a.re, .b.mi non habent mutationes quia de sola voce non potest fieri mutatio.

⁸⁹ In .C.faut due sunt mutationes, scilicet *fa ut* et *ut fa*. *Fa ut* propter asscensum de .b. quadrato in naturam, *ut fa* propter descensum de natura in .b. quadratum.

⁹⁰ In .D.solre due sunt mutationes, scilicet *sol re* et *re sol*. *Sol re* propter asscensum de .b. quadrato in naturam, *re sol* propter descensum de .b. natura in .b. quadratum.

⁹¹ In .E.lami due sunt mutationes, scilicet *la mi* et *mi la*. *La mi* propter asscensum de .b. quadrato in naturam, *mi la* propter descensum de natura[m] in .b. quadratum.

⁹² In .F.faut due sunt mutationes, scilicet *fa ut* et *ut fa*. *Fa ut* propter asscensum de naturam in .b. molle, *ut fa* propter descensum de .b. mollem in naturam.

⁹⁰ propter^{1]} per cod.

⁹³ In .G.solreut VI sunt mutationes, scilicet *sol re*, et *re sol*, *sol ut* et *ut sol*, *re ut* et *ut re*. *Sol re* propter ascensum de naturam in .b.molle, *re sol* propter descensum de .b. molle in naturam, *sol ut* propter ascensum de natura in .b. quadratum, *ut sol* propter descensum de .b. quadratum in naturam, *re ut* propter asscensum de .b. molle in .b. quadratum, *ut re* propter descensum de .b. quadrato in .b. molle.

⁹⁹ In .a.lamire, VI sunt mutationes : *la mi*, *mi la*, *la re*, *re la*, *mi re* et *re mi*. *La mi* propter asscensum de naturam in .b. molle, *mi la* propter descensum de b molle in naturam, *la re* propter ascensum de naturam in .b. quadratum, *re la* propter descensum de .b. quadrato in naturam, *mi re* propter ascensum de .b. molle in .b. quadratum, *re mi* propter descensum de .b. quadrato in .b. molle.

¹⁰⁰ In .b.fa.b.mi non sunt mutationes quia *fa* non potest mutari in *mi* nec *mi* in *fa* propter semitonium.

¹⁰¹ In .c.solfaut VI sunt mutationes, scilicet *sol fa* et *fa sol*, *sol ut* et *ut sol*, *fa ut* et *ut fa*. *Sol fa* propter asscensum de .b. molle in .b. quadrum, *fa sol* propter descensum de .b. quadro in .b. molle, *sol ut* propter asscensum de .b. molle in naturam, *ut sol* propter descensum de naturam in .b. molle, *fa ut* propter asscensum de .b. quadro in naturam, *ut fa* propter descensum de naturam in .b. quadrum.

¹⁰² In .d.lasolre sunt VI mutationes, scilicet *la sol*, *sol la*, *la re*, *re la*, *sol re* et *re sol*. *La sol* propter asscensum de .b. molle in .b. quadratum, *sol la* propter descensum de .b. quadrato in .b. molle, *la re* propter descensum de .b. molle in naturam, *re la* propter descensum, *sol re* propter ascensum de .b. quadrato in naturam, *re sol* propter descensum de naturam in .b. quadrato.

¹⁰³ In .e.lami, in .f.faut, in .g.solreut, in .a.lamire, in .b.fa.b.mi sicut dictum est superius.

¹⁰⁴ In .c.solfa | due sunt mutationes, scilicet *sol fa* et *fa sol*. *Sol fa* propter ascensum de .b. molle in .b. quadratum, *fa sol*, propter descensum de .b. quadrato in .b. molle.

¹⁰⁵ In .g.lasol due sunt mutationes, scilicet *la sol* et *sol la*. *La sol* propter ascensum de molle .b. in .h. quadrato, *sol la* propter descensum de .h. quadrato in .b. molle.

¹⁰⁶ Dicto quomodo voces singule proferantur et quomodo ascendendo vel descendendo proprie transmutentur, videndum est de VII vocibus consonantibus ex quibus musica tota consistit.

¹⁰⁷ Sciendum itaque est quod vocum quedam dicuntur simplices, quedam composite. ¹⁰⁸ Simplices dicuntur singule per se prolate sive assensu[m] vel descensu et dicatur tantum *fa* vel *mi* et sic de aliis. ¹⁰⁸ Composite dicuntur omnes consonantes et dicuntur consonantes quasi simul sonantes. ¹¹⁰ Nam si vox voci ascendendo vel descendendo iungatur, statim consonantia resonabit, ut si dicam *fa sol* vel *sol fa*, *ut re* vel *re ut*, et sic de aliis. ¹¹¹ Unde et a quibusdam coniunctiones non immerito appellantur, a quibusdam consonantie, a quibusdam etiam symphonie.

¹¹² Consonantium autem vocum sunt VII differentie sive symphonie ex quibus tota armonia consistit, scilicet tonus, semitonus, ditonus et semiditonus, diatessaron, diapente, diapason. ¹¹³ In nullo enim cantu aliis modis vox voci coniungitur <ascendendo> [vel remictendo] vel descendendo.

¹¹⁴ Prima igitur vocum consonantia est cum inter duas voces unus est tonus. ¹¹⁵ Potest autem tonus multimode diffinire sic: tonus est legitima spacii magnitudo distans a sono in sonum, ¹¹⁶ vel: tonus est legitimum spacium duarum vocum proximo sibi iunctarum, ¹¹⁷ vel: tonus est maius spatium acuminis vel gravitatis quod fit de littera ad proximam licteram, ¹¹⁸ vel: tonus est plena et perfecta vocis ascensio vel descensio ab una lictera in

115 (tonus est...) SCHOL. ENCH. 3, 7 ; INCH. UCHUB. 5

116 AMERUS 18, 4

117 ANON. La Fage I 3, 2

108 singule] et singule *ante corr.*

111 coniunctiones] adiunctiones *cod.*

115 multimode *lect. dub.*

aliam licteram sibi proximam,¹¹⁹ ut ab .A. in .B., vel a .C. in .D., vel a .D. in .E., vel ab .F. in .G., vel a .G. in .a. et sic de singulis licteris exceptis a .B. in .C., vel ab .E. in .F., vel ab .a. in .b. rotundo. Similiter ubicumque.¹²⁰ Et est sciendum quod quelibet due voces simul iuncte tonum efficiunt, verbi gratia *ut re, re ut, re mi, mi re, fa sol, sol fa, sol la, la sol* exceptis *fa mi* et *mi fa* que simul iuncte ubicumque faciunt semitonium.

¹²¹ Debet autem proferri tonus pleniore et voce rotunda ubicumque. Habent quoque tamen proprium et diversum modum singuli toni quo debent proferri sicut habent cordas proprias et diversas. ¹²² Aliter sibi non differenter adinvicem, sed sicut pronuntiaretur *ut re*, pronuntiaretur *re mi* et *fa sol* et *sol la*. Et ita non esset ulla diversitas inter eos, set essent omnes tantum unius totius si eadem esset omnium prolacio. ¹²³ Est ergo diversa pronun~~tia~~cio in diversis tonis positis in diversis cordis, sed eadem est pronunciatio omnium tonorum similium gravium et acutorum. ¹²⁴ Nam sicut proferetur *ut re* in uno loco, ita debet proferi ubicumque, tam in gravibus quam in acutis et superacutis similiter *re mi* et *fa sol* et *sol la*, ¹²⁵ excepto quod toni qui sunt in gravibus licteris, graviter debent proferri quam hii qui positi sunt in acutis, et similiter intelligendum de singulis consonantias.

¹²⁶ Debent igitur toni singuli sic proferri. Nam *ut re* letus est tonus et leviter debet proferri aliorum comparatione. ¹²⁷ Verbi gratia in petu fortiter debet proferri :

CD D D E D

¹²⁸ Non vos re-li-quam.

CD D D ED C

¹²⁹ San-ctus Fran-cis-cus

120 AMERUS 18, 5

128 CAO 3941

129 @ *Cantus* 204506

121 pleniore] plenihore (planihore ?) *cod.*

122 unius totius *lect. dub.*

¹³⁰ *Re mi* fortior est tonus et cum quodam <impetu> maxime in principio. ¹³¹ In fine tamen non debet vox nimium protendi sed potius exinaniri sicut huius antiphone prima elevatio monstrat :

D EF G G F E D

¹³² Qui me mi-sit me-cum est

D EF G G E FE D

¹³³ A bi-ma-tu et in-fra

D EF G E

¹³⁴ Ger-mi-na-vit

¹³⁵ *Fa sol* solidus est tonus et fortis, et fortiter debet proferi et solidus pronuntiari tam in elevatione quam depositione, verbi gratia [verbi gratia] :

FF FF G G G FF Ga FF D D

¹³⁶ Spi- ri- tus et a- ni- me iu-sto-rum

F G F F F G F G

¹³⁷ Re-ga-li ex pro-ge-ni-e

G FD E F Fa a G

¹³⁸ Do-mi-nus ab u- te-ro

//////////

¹³⁹ ////////////

¹⁴⁰ *Sol la* acutus est tonus et yllaris, et acute et yllariter debet proferri, et fortiter substineri ex // in hac antiphona :

F GaG a

¹⁴¹ La- za- rus

132 CAO 4482

133 CAO 1187

134 CAO 2941

136 CAO 5000

137 CAO 4591

138 CAO 2400

141 CAO 3603

132 Qui me misit] quod me insit *cod.*

134 Germinavit] germinante *cod.*

140 sol la] sola *cod.*

F G a G a

¹⁴² Item dominus⁺

¹⁴³ Secunda vocum coniunctio est semitonium quod sic discernitur : ¹⁴⁴ semitonium est imperfectum spaciū <duarum vocum> proximo sibi iunctarum, vel sic : ¹⁴⁵ semitonium est imperfecta spatii magnitudo distans a sono in sonum, vel sic : ¹⁴⁶ semitonium est semiplena et imperfecta vocis ascensio vel descensio ab una lictera //// ad proximam, ut a .B. in .C. vel ab .E. in .F. vel ab .a. in .b. rotundo ubicumque. ¹⁴⁷ Et dicitur semitonium quasi imperfectus tonus, scilicet minor est tono, voce et spatio sicut patet in musicis instrumentis. ¹⁴⁸ Unde et imperfecta <est> eius elevatio et <deposi>tio.

¹⁴⁹ Sicut in corda fit, ita parumper in voce protendi debet et non quidem semiplene et voce diminuta debet proferi, sicut huius antiphone prima elevatio probat :

E F G F DE F

¹⁵⁰ Iu-bi-la-te de-o

¹⁵¹ In depositione sic :

FF F FE D

¹⁵² O- bla-tus est

¹⁵³ Debet autem fieri processus de *mi* in *fa* hoc modo. ¹⁵⁴ Primo namque debet *mi* fortiter cum quodam impetu incipi et quasi debilitando voce debet leniter et dulciter de *mi* in *fa* procedi, sed, post inceptum *fa* dulciter, debet vox semper fortificari.

¹⁴⁷ cf. AMERUS 18, 6

¹⁴⁹⁻¹⁵⁰ (ita... debet huius... iubilate deo) Ps.-ODO dial. 277a

¹⁵⁰ CAO 3508

¹⁵² CAO 4097

¹⁴² Item] in te ?

¹⁴⁶ proximam *lect. dub.*

¹⁴⁷ imperfectus] imperfecte *cod.* | *s. lect. dub.*

¹⁴⁹ non *lect. dub.* | semiplene] semipleno *cod.*

¹⁵⁴ voce *lect. dub.*

¹⁵⁵ Sciendum tamen est quod secundum sententiam aliquorum semitonia duo sunt, unum minus et aliud maius. ¹⁵⁶ Dividitur siquidem tonus in duas partes sed ita ut quelibet pars eius aut medietatem transcendat aut minor medietate remaneat et utreque ille divisiones semitonia nuncupantur, unum maius et aliud minus. ¹⁵⁷ Que cum in unum convenerint integrum reddunt tonum. ¹⁵⁸ Porro si duo semitonia maiora iungantur excedunt tonum, si duo minora ad eius mensuram nullatenus pertingunt. ¹⁵⁹ Estque semitonium nuncupatum non quod toni sit medietas sed quod semum dici solet quelibet pars eius rei. [rei] <...> in duas partes licet non equaliter divise, ut secundum istam divisionem taliter diffinitur: ¹⁶⁰ semitonium est cum sibi duas voces brevissimo valde iunguntur spatio ita ut vix aliquando discriminem inter eas sentiri possit et istud dictum est minus semitonium. ¹⁶¹ Tonus vero potest dici quasi superfluos, quia in eo est protensior atque perfectio elevatio et depositio sed unde unius imperfectio alterius superfluitatem sive alterius superfluitas alterius imperfectionem moderatur perfecta modulatio ex utroque <latere> perficitur.

P 25r

¹⁶² Dispositio autem tonorum et semitoniorum per lineas et interlineas determinata qua perfecti utuntur musici, talis est.

¹⁶³ Ponuntur primitus duo toni postea semitonii, deinde duo toni, postea semitonium. ¹⁶⁴ Tertio loco adiungitur tritonus, qui super .F. naturaliter et ubicumque invenitur, deinde semitonium,

156-159 (...pars eius rei) HUCBALD. 19

160 (semitonium... possit) HUCBALD. 20

161 (protensior...) Ps.-ODO dial. p. 278a

162-164 ANON. La Fage I 3, 5-7

155 sententiam *lect. dub.*

160 duas] dues *cod.* | vix] vis *cod.* | istud] istum *cod.*

162 per lineas et interlineas] per licteras et interlicteras *cod.*

163 toni²] tono *cod.*

postea duo toni et semitonium, deinde tritonus, qui super .f. naturaliter, ut dictum est, reperitur, deinde semitonium et tonus ad ultimum.

¹⁶⁵ Nolo autem quod lateat cur tritonus nominetur. ¹⁶⁶ Tritonus etenim dicitur eo quod ex tribus tonis constare cognoscitur. ¹⁶⁷ Sed ut dispositio tonorum et semitoniorum clarius elucescat, tonus et semitonia per lineas et interlineas subnotabimus, sic : ¹⁶⁸ Γ - tonus - A - tonus - B - semitonus - C - tonus - D - tonus - E - semitonus - F - tonus - G - tonus - a - tonus - b - semitonus - c - tonus - c - tonus - e - semitonus - f - tonus - g - tonus - a - tonus - b - semitonus - c - tonus - § [tonus].

¹⁶⁹ Tertia vocum coniunctio appellatur <ditonus>. ¹⁷⁰ Est enim dictonus spatium duorum tonorum cum inter <duas> voces [et vocem] duo sunt toni sive in elevatione sive in depositione, ut a tertia .C. in quinta .E. et a VI^{<a>} .F. in octavam .a., vel ubicumque invenitur *ut mi vel mi ut, fa la vel la fa*. ¹⁷¹ Hec consonantia non dividitur per spes quia quocumque te vertes, sive in principio sive in fine, tonum repieres. ¹⁷² Haec autem, sive in elevatione sive in depositione, prona voce et solide debet proferri.

¹⁷³ Quarta vocum coniunctio semidictonus appellatur. ¹⁷⁴ Est enim semidictonus spatium unius toni et semitoni, id est cum inter duas voces sive in elevatione sive in depositione tonus et semitonius differentiam faciunt, ut inter IIII^{am} .D. <et> VI^{<am>} .F. et inter V^{am} .E. et VII^{am} .G. et ubicumque invenitur *re fa vel fa re, mi sol vel sol mi*. ¹⁷⁵ Hec consonantia duas habet species. ¹⁷⁶ Prima

¹⁶⁵⁻¹⁶⁷ cf. ANON. La Fage I 3, 9-11

¹⁷¹ ANON. La Fage I 4, 2

¹⁶⁵ nominetur] nomine *cod.*

¹⁶⁷ per lineas et interlineas] per licteras et interlicteras *cod.*

¹⁶⁸ B] set *cod.*

¹⁷⁰ spatium] spatio *cod.*

¹⁷² prona *lec. dub.* | solide] solidum *cod.*

¹⁷⁴ vel *sol mi*] et sol in *cod.*

constat ex tono et semitonio et fit ab .A. in .C. ¹⁷⁷ Secunda constat ex semitonio et tono et fit ab .B. in .D. ¹⁷⁸ Hec simphonia dulciter et leviter debet proferri et maxime quando semitonium est in fine, ut *re fa vel sol mi.* ¹⁷⁹ Quando vero habet in principio tonum, et plena et perfecta voce debet incipi et leviter finiri, et econtra quando in principio semitonium leviter incipi et fortiter finiri. ¹⁸⁰ Et hoc idem intelligendum est de diatesseron et diapente.

¹⁸¹ Dicto de IIII^{or} vocum coniunctionibus, i. tono, semitonio, dictono et semidictono, per quas voces vocibus coniunguntur, dicendum est de tribus principalibus consonantiis, scilicet diatesseron, diapente et diapason. ¹⁸² Hee dicuntur consonantie quia earum extreme voces primis vocibus consonare noscuntur.

¹⁸³ Diatessaron enim reddit dulcem melodiam, diapente dulciorem, diapason dulcissimam et quandam ut ita dictam idemperitatem vocum. ¹⁸⁴ Hiis tribus consonantiis in discantu et organo organizatores utuntur.

¹⁸⁵ Est autem diatessaron vox quelibet alicui voci coniuncta tam in elevatione quam in depositione differenti a se quarto loco, ¹⁸⁶ vel diatessaron est pronuntiatio, que constat ex gravi et acuto differentibus a se IIII^{<or>} loco. ¹⁸⁷ Interpretatur enim diatessaron *de IIII^{<or>} a dia* quod est *de* et tessaron quod est *III.* ¹⁸⁸ Constat enim ex quattuor vocibus sive intendatur sive remittatur.

¹⁸⁹ Huius autem consonantie species sunt III. ¹⁹⁰ Prima constat ex tono et semitonio et tono et fit ab .A. in .D. ¹⁹¹ Secunda ex semitonio et duobus tonis et fiat a .B. et in .E. ¹⁹² Tertia constat ex duobus tonis et semitonio et fit | a .C. in .F.

182-183 ANON. La Fage I 5, 6

184 ANON. La Fage I 5, 2

186 INTERV. Diapason 27 (ed. Chr. Meyer / Sh. Nishimagi, *Tractatuli*, p. 33-37)

189-192 cf. ANON. La Fage I 5, 16

183 dictam] dicam *cod.*

184 organizatores] organizationes *cod.*

188 remittatur] hemittatur *cod.*

¹⁹³ Diapente autem est vox quelibet alicui voci coniuncta differenti a se quinto loco. ¹⁹⁴ Interpretatur namque diapente *de V a dia* quod est *de et penta* quod est *V eoquod continet in se V* voces tam in elevatione quam in depositione.

¹⁹⁵ Huius autem consonantie species sunt IIII. ¹⁹⁶ Prima constat ex tono et semitonio et duobus tonis et fit a .D. in .a., secunda ex emitonio et tribus tonis continuis et fit ab .E. in .h., tercua e tribus tonis continuis et semitonio et fit ab .F. in .c. ¹⁹⁷ Quarta constat ex duobus tonis et semitonio et tono et fit a .G. in .d.

¹⁹⁸ Septima vero et ultima vocum consonantia dicitur diapason in qua diatesseron et diapente coniungun<tur>. ¹⁹⁹ Interpretatur autem diapason *de omnibus a dia* quod est *de et pason* quod est totum eoquod omnes vocum coniunctiones et consonantias videlicet tonum, semitonium, dictorum, semidictorum, diatesseron et diapente in se contineat. ²⁰⁰ Cum enim ab .A. in .D. sit diatesseron et ab eodem .D. in .a. sit diapente, a prima .A. in alteram .a. diapason existat. ²⁰¹ Et igitur diapason vox quelibet alicui voci coniuncta differenti a se octavo loco, ²⁰² vel diapason est vox quelibet gravis cum acuta resonans unice. ²⁰³ Que voces unice, i. naturaliter, concordes voces faciunt, quia sunt per omnia eiusdem qualitatis et similitudinis, ut .D. .d. ²⁰⁴ Utrumque enim .D. <et> .d. tono et semitonio et duobus tonis remictuntur, unde et in canendo, quantumcumque differentibus locis lictere seu voces graves cum acutis vel superacutis multiplicentur, semper tamen eundem cantum <gravem> et acutum et superacutum, unice resonabunt et eadem vocum unitas apparebit. ²⁰⁵ Nulla igitur vox cum altera perfecte concordat preter consonantia diapason.

¹⁹³ INTERV. Diapason 15 (ed. Chr. Meyer / Sh. Nishimagi, *Tractatuli*, p. 33-37)

¹⁹⁶⁻¹⁹⁷ cf. ANON. La Fage I 5, 24-27

¹⁹⁸ cf. GUIDO micr. 5, 2

²⁰² INTERV. Diapason 2 (ed. Chr. Meyer / Sh. Nishimagi, *Tractatuli*, p. 33-37)

²⁰³ (per omnia... similitudinis) GUIDO micr. 5, 6

²⁰⁴ (Utrumque... remictuntur) cf. GUIDO micr. 5, 10 ; (eundem cantum... unice) GUIDO micr. 5, 13 ; (eadem... unitas) GUIDO micr. 5, 16

²⁰⁵ GUIDO micr. 5, 24

²⁰⁶ Huius consonantie autem species sunt VII sicut sunt VII lictere musicales.

²⁰⁷ Prima constat ex prima specie diatessaron et ex prima specie diapente et fit ab .A. gravi in .a. accutum.

²⁰⁸ Secunda constat ex secunda specie diatesseron et ex secunda specie diapente et fit ab .B. gravi in .b. accutum.

²⁰⁹ Tertia constat ex tertia specie diatessaron et ex tertia specie diapente et fit a .C. gravi in .c. accutum.

²¹⁰ Quarta ex prima specie diatessaron et quarta specie diapente et fit a .D. gravi in .d. accutum.

²¹¹ Quinta constat ex secunda specie diatesseron et prima specie diapente et fit ab .E. gravi in .e. acutum.

²¹² VI^a constat ex tertia specie diapente et ex IIII^a specie diatesseron et fit ab .F. grave in .f. accutum.

²¹³ VII^a constat ex III^a specie diatesseron et quarta specie diapente et fit a .G. <gravi in> .g accutum.

²¹⁴ Sciendum autem est quod licet plures inveniantur species, non est adiectio aliarum, sed earundem repetitio. ²¹⁵ Quattuor enim species ^{+que i...} replicantur ...⁺ respondent IIII licteris superaccutis nihil aliud significant quam primas IIII species, que sunt a licteris gravibus ad acutas.

²¹⁶ Constat autem hec consonantia diapason ex V tonis et duobus semitonis minoribus, i. que non impleant tonum, ut ab .A. grave in .a. acutum et ita de ceteris consimilibus. ²¹⁷ Et est sciendum quod quocienscumque in aliqua consonantia sunt plura semitonia vel pauciora predictis cassant consonantiam.

²⁰⁷⁻²¹³ cf. ANON. La Fage I 5, 32-52

²¹⁴ (non est... repetitio) GUIDO micr. 5, 18

²¹⁷ AMERUS 19, 6

²⁰⁷ prima^{1]} tertia cod.

²¹⁰ quarta] secunda cod.

²¹² tertia] quarta cod.

²¹³ quarta] secunda cod.

²¹⁵ nihil aliud] nec alium lect. dub.

²¹⁸ Omnia autem predictarum consonantiarum formulas et exempla in sequenti figura primo de lictera ad licteram, deinde in cantilenis subscriptis de voce ad vocem providus cantor liquido poterit invenire. ²¹⁹ Et si diligenter studerit eas perfecte memorie commendare peritus cantus si adsit possibilitas vocis leviter poterit esse divina gratia concedente.

220

P 26r

